
Sludziński Romualdi Herculeum non plus ultra gloriae Seraphicae.

HERCULEUM
NON PLUS ULTRA
GLORIÆ SERAPHICÆ
Ad Anagrammaticum Montem
ERECTUM,
DIVINISSIMUS
SIMON
LIPNICIUS.
PATRONUS REGNI POLONIÆ
Recurrente Annuâ ſuæ Feſtivitatis die
In Conventu Stradomienſi
Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI,
Regularis Obſervantiæ Patrum Bernardinorum
Cultu Panegyrico
Illuſtriſſimæ Hoſpitum Coronæ
PER
M. ROMUALDUM FLUDZINSKI,
Philoſophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM
DEMONSTRATUS.
Annô, Magni Jubilæi 1751. Die Quâ DEUS ab Opere quievit 18. Julij

---

Cracoviæ Typîs Collegii Majoris Univerſitatis

IN GENTILITIUM DECUS
ILLUSTRISSIMÆ
CZERNORUM DOMUS



I.

Quæris? Cur vigilet CZERNORUM Cuspis acuta,
Custodit Patriam, protegit illa fidem.
Prodidit armatum bellatrix Gloria ferrum,
Infensus citius, hostis ut umbra cadat.

Applaudit JOSEPHUS in Łukovica SENDZIMIR,
BURGRABIDES Cracoviensis Judicida Castrensis
Sandecensis Rhetorices Auditor.

II.

Dant pretium Pactole Tibi, Duciusquè Tagusque
Et felix Hermus, flumina trina poli.

Applaudit CAJETANUS in Łukowica SENDZIMIR
BURGRABIDES Cracoviensis, Judicida Castrensis San
decensis Grammatices Studiosus

GENEALOGIA
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
CZERNORUM.

In Arbore Consangvinitatis directa Linea procedentium.

2dò ex Capite STANISLAI CZERNY 1mò ex Capite BERNARDI CZERNY

1mò cum Barbara Baierska	Antonius à quo cum Hennikowna, procreati	Adamus Capitaneus Parnavensis Barbara M. Radźikowski Consors. Hedvigis M. Josephi Zarski Consors Cathatina M Josephi Machicki, Consors Constantia Virgo	- - qui cum Francisca Kiciaska.	Gasparum.
	Franciscus Castellanus Woynicensis, à quo cum Salomea Niclepcowna procreati.	Josephus - - - Teressia M. Joannis Lochoei, Capitanei Krzeczoviensis Consors.	à qua	Cordula
Alexander Binubus.		Marianna M. Josephi Szembe, Ensiferi Ostrzeszov: Consors.	à qua	Casimirus Alexander
2do Voto cum Marianna Trembecka.	Hedvigis M. Popiel. Anna M. Solecki, Consors.	Salomea M. Stanislai Ankwicz, Capitanei Tarnogoriensis Consors	à qua	Franciscus. Thadæus
	Andreas à quo cum Antonina Krasnodębska.	Franciscus Pocillator Parnaviensis		
		Josephus Generalis S. R. Maiestatis à quo cum Krasinska,	Stanislaus - - Sterilis Anna Monialis Salomea M. Gumieniecki, Vexillifer: Parnaviesis Consors	
		Stanislaus Castellanus Osviecimensis, qui cum Niclepcowna	Sterilis.	
	Michael Castellanus Sandecensis à quo cum Oszamowska propagati	Petrus Castellanida Sandecensi à quo cum Malachowska.	Ignatius, Josephus, Ludovicus Sterilis Franciscus Canonicus Cracoviensis Joachimus. Anna M Cinski, Consors Blandida M Dembicki Vicesgeren: Neocorcinen: Consors.	
à quo cum Ligęzianka		Christina M. Dembinski Vexiliferi Zatoriensis Consors	Salomea Monialis Coventus S Agnetis	
		Rosalia M. Jordan Spytek Pincernæ Cracoviensis Consors cum quo Gabriela, Anna Moniales	Michaël Antonius Dismu Ignatius.	
	Franciscus Decanus Kiioviensis in Strzelce Præpositus.			
	Andreas Castellanus Sandecensis Binubus. 1mò cum Urowiecka	Michael Dapifer Volchiniæ à quo cum Wolska,	Andreas à quo cum Dobrzanska	Salomea Magnifici Wykowskii Dapiferi Rozanensis Consors
		Cristina Binuba 1mò M. Brzychwá Capit. Krzeczov: 2do M. Lochocki Capit: Krzeczv.	Sterilis.	
	2do Voto cum Szembekowna Celsissimi Primatis Regni Sorore	Teressia M. Sendźimir Ensiferi Zakroczymensis Consors à qua	Andreas Judex Sandecensis Burgrabius Cracoviensis. à quo cum Helena Jordanowna.	Josephus Cajetanus Stanislaus Michaël Nepomucenus &c.
		Elisabetha M. Ankwicz, Castellani Zvichostensi Consors à quo	Andreas Canonicus Cracoviensis Michaël Soc: JESU Religiosus Laurentius	
			Stanislaus Capit: Tarnogori: qui cum Salomea Czerna Illustrissimi Mecænatis Filia. Hedvigis M Baranowski Consors Juditha M. Deboli Judicis Grabovien.	Franciscum. Thadæum.,

Illustrissimo & Excellentissimo Domino

D. FRANCISCO
IN WITOWICE
CZERNY,
CASTELLANO VOYNICENSI, &c.
Domino Protectori Amplissimo.

PRimævis ab annis quod in votis habui Illustrissime Mecænas *ut Tibi Tuæq; Domui* Illustrissimæ *officiosum præstâssem obsequium, id mihi publicô solis hodierni die evenisse constat, ubi Tibi* FRANCISCO SIMONEM LIPNICIUM *reddo. Reddo Tibi Hunc Quem Jure multiplici obligâsti, & Aulæ Tuæ vicinum & Collateralem fecisti. Reddo Tibi FRANCISCE Hunc, Quem piis Suspiriis devotis precibus Tuum elegisti Patronum. Reddo Tibi Hunc Quem in locum JOSEPHI nuper de vivis extincti, in Filium viduatus Pater adoptâsti. Injustum forsitan diceres; qui hanc Tibi Senatori denegaret purpuram, quam exantlatis pro Patria meruisti laboribus, nec me grandi absolveres crimine, si Hunc à Te avellere præsumerem, Quem allegatis Titulis possedisti. LIPNICIUS Divinissimus erit pro Domo Tua Orator & quamvis ære pauper, tamen Opere dives, Nomen Tuum ab*

oblivione temporum redimet, vindicabit. Certum est Illustrissime Mecænas: Regum Diademata in fragmenta redire, Aurea Poma vermibus corrumpi, Senatorum Purpuras tineas fovere, Consangvinitatum Arboribus secures insidiare ad interitum. Arescunt etiam Triumphales Heroum palmæ, evanescunt ad ferventes furentis Gradivi æstus Victorum Oleæ, nisi sudorifero Encomiastarum imbre perfundantur. Effusus per Martis Aciem Sangvis non pullulat in rosas, ad Coronam æternitatis colligendas, nisi rubro scriptorum Calamis annotetur. Aspersi rubigine hebescunt acinaces nisi pulvere Literario poliantur. Quæris? Cimbrica Marij Marolonia Milciadis, Pharsalica Julij, Cannensia Annibalis Trophæa, cur durent præsentibus sæculis. Non quia in sipilticis marmoribus vel adamantinis Columnis, sed molliori in scheda eruditis sunt exarata characteribus. Quis? vidit Macedonum Triumphos, Trajanorum Augustalia, Romanorum Capitolia, Memphiticas Turres, Diana Fana nisi: vel in tabula Apellinea vel Mutis Magistris informatus. Dic? & eris mihi Magnus Apollo: quomodo Scipiadum dexteritas, Hectorum Magnanimitas Pompejorum Urbanitas nostris resonet in auribus: siquidem nec illos in Acie dimicantes, nec hos affabilitate certantes conspeximus; sepia est evidens non apparentium Argumentum. Decantet vocalibus bellorum lituis fortes Argivos Mars belliludus, denotet fulminans Pericles inter roboantes bellorum strepitus, invictos Agamemnonas; silent tamen & silebunt omnia. Cur ita? Cytharadus Apollo nondum bicollem inhabitavit Parnassum, vocaliorem Cytharæ concentum non cecinit, Novennarius Musarum Chorus gratiorem vocum harmoniam non exhibuit. Pleriq; accendebant trabeatos Titulorum Soles, splendidas Majorum jactabant ceras, cur in tenebris jacent? face erudita Diogenis, lampade Cleantis caruerunt, ideo oleum & operam perdiderunt. Encomiastica Scheda, est tersissimum quoddam speculum, in quo præteritorum series, accuratissime proponitur observanda. Vis Lesbia, Pamphilia, Leucadia, Delia, Briseda, Dardanorum, Mycenatum

Argivo-

Argivorumq; contemplari bella, aperi Catulum, Valerium, Terentium, Tibullum, Maronem & intentum habebis. His paulisper immorari placuit Illustrissime Mecænas *ut præsenti sæculo incinerata erga Literas propensio, saltem futuris temporibus valeret suscitari, & Tuus erga Literatos affectus nè tristi tumularetur oblivione*

- - - - - - Quem non ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nocte vetustas.

Tempora ne moveant quæstionem cujus sint Generis CZERNII, quamvis Codices, Annales, Volumina doceant, ego tamen obsequentissimus Illustrissimorum Adorator Nominum *hac in Pagina respondere statui. Non evoco è mortali Sarcophago singulos Avorum Atavorumq; manes, ordinatè in præscripta Genesi procedentes, nonnullos pro posse ingenii in compendio relatos lux publica adorabit. Annô Dñi 1497. Caput primum* PAVLVS de Vitovice CZERNY, Gentilitiô Gladiô *primam in Campo Sarmatico descripsit stationem, cujus Herculeus mucro, hostili bene potus tabo, nunquam obliterandos gloriæ suæ in Martis Acie inaravit Characteres. Mox tres nactus Filios, STANISLAUM, GEORGIUM & JOANNEM, & quantum fortunæ ex iis Patria haberet, perfectissimus ternio demonstrabat. Non plures, nec pautiores prodidit PAULUS Filios & bene: Trina erant Gentititia* FLUMINA, *quibus præsidere, aureô instructus remo unus non sufficiebat Neptunus, nisi hoc tridente armaretur. Magnum erat felicitatis Poloniæ mysterium, unitatem in tribus Filiis requisivit. Aliter Domûs* Illustrissimæ Structura *omni solidius adamante sustineri non potuit, nisi his tribus Columnis firmaretur. Conjice Sarmatia qua sperare debeas ex* Illustrissima *CZERNORUM* Domo *cum & ipsum initium in tribus perfectissimum disertissimũ Tuæ sit Gloriæ argumentum. Utiq; consentit cum flore fructus, cum Aurora meridies an debeas formidare tempestatem hac indicat, an sperare fructum ille auguratur Laconibus cunas dant Clypei, nec dicas Annibalem Alpes emensurum, qui molles in pestò formidavit calcare rosas. Principium est progressûs augurium.*

 Vix

Vix Gentilitiis Fluminibus *fortunatissimi Iasones, Lechicam pervenistis ad Colchydem, illico ferox Libertatis hostis, fera pessima, truculentus aurei velleris procrustes, Orientis Draco fuga salutem quærere coactus. Frustra Gryphes in auri tutelam ponis Arabia, cum Orbis Lechicus inæstimabilem Libertatis Thesaurum evaginatô munivit gladiô. Ante bellantis adhuc fortunæ jura jurâstis contra hostiles Alpes Martis lituo decantati Annibales, reidntegratam Romanorum Pharsaliam, acerrimi Patriæ Defensores conclusistis. Tenebant confederata capita negativam pacis sententiam, argumentabantur ab impossibili, nulla concordiæ statui posse fundamina, solvistis nodosa avitô mucrone necessarium pacis restaurando argumentum. Inter pyrios excandescentis Bellonæ ignes periisset Polonia: Incinerâssent Divorum fana profano ausu semiusti Herostrati, ni geniales undæ fervorem extinxissent. Hactenus intaminata Libertatis Polonæ Virginitas, hostium non violata prostibulo quod subsistat, ære & opere fecere CZERNII. Sub his Pompiliis triumphale Religio erexit Vexillum, stabilita pax, firmata securitas, & omnis felicitas solidata. Detonant crepantibus buccis Oratorum rostra. Alexandrum Magnum chalybeo ensi incubâsse solitum, & ut Patria secura mansisset ferreis vacâsse pulvinaribus. Oculatum CZERNORUM gladium quisquis suspicit, vigilantem in Martio Campo advertit, inferet: non alio fine, nisi ut bene se habeat Polonia. Vigilat: sed non in colla papaverum ut Tarquinii, non ad enecandas muscas ut Domitiani, non in insontes animas ut Diocletiani, non in Materna viscera ut Neronis, sed contra tercentos Fabios Victrici ferrô sopiendos. Bene sperabis Lechia quousq; spirabunt CZERNII. Illi sunt in Consilio Catones, in Bellonæ area Metelli, in Areopagis Iustiniani, in Regni Corona uniones præstantissimi, ad Honorum Subsellia primi Candidati. Quotquot alii Dignitatum fasces visuntur, hi sunt Atlanticis* Fluminum Gentilitiorum *humeris apportati. Adeo: ut rarus honor sit quem non portaverint, rarior Martis conflictus Cui* Gentilitius Novina *non paraverit exitium. Puniendi*

niendi erant ultore ferro in perniciem Patriæ conspirantes Catilinæ, Materna ferientes viscera Nerones domandi erant, decantanda Martis lituô Gentis Sarmaticæ fama, Vos CZERNII puniistis, domâstis, ampliâstis, ferrô quô omnes; dexteritate quâ rari, virtute quâ nulli. Tantisper sterilis Poloniæ Campus, spinas & tribulos germinabat, quos dolosa Lechiadum plantavit manus, conculcavit id armatus Pes Vester, & ne unquàm tumidam erigeret cervicem, id effecit Illustrissimus *PETRUS CZERNY* Castellanus Lublinensis, *(cujus magnanimitatem scire desideras? Mars ipse testatur. Ibit ibit fama Ejus etiam post funera superstes, ibit in perennem memoriam inaudita sæculis audacia, quando armatô Gradivi stupente supercilio, in Bello Moschovitico Hector Magnanimus, per scuta, galeas, cadavera saltans, ad ipsam mortem strenuissime decertans, hæc Aurô Cedrôq; notanda protulit verba: Amans Patria moritur pro ea.* Okolski T. 2. pag: 293. *Hic mihi unicus Orbis quondam prodigia Curtios & Leonidas sepelit, Alexandros & Scipiones confundit, Romæ, Sparthæ, Athenis omnem demit admirationem. Quem Virum nomino, cujus omne vitæ momentum singularis actio, singula actio, maxima erat Panegyris* Argumentum. *Dicerem hoc Pompeio integram* Domûs Illustrissimæ *subsistere gloriam, nisi* Illustris & Magnificus *BERNARDUS CZERNY Vir ex utroq; Cæsar victricibûs redimitus Laureis dubium Oratoris animum resolvisset. Fuit ille Principum amor, Senatûs delicium, Regii Diadematis unio pretiosissimus. Quantum in eo haberet Sapientia: Tribunalia loquuntur, quantum pietas: sciunt Superi, quantum benignitas, dant Regni Cives testimonium. Quidquid in Fabio magnanimitatis, in Catone prudentiæ, in Cicerone eloquentiæ, & Polono admirata in OSSOLINIO Roma, id omne in BERNARDO mellifluo videri potuit. Divisum cum Superis Imperium se habere arbitrata Polonia, quando* Magnifici *ANTONIUS & ANDREAS CZERNII Fratres Tui, inter praliares æstus non fatigati, oderunt illum Tiberii morem, suppetias à verticali Lauro petentis, quibûs bellica fulmina sibi minantia terruissent.*

 issent.

issent. Objici telis igneis, chalybeos tormentorum globos, armato pectore refringere, illorum erat. Dicere liceat Domum Tuam Illustrissimam Cælum Terrestre. quando Illustres *STANISLAVS & MICHAEL* Castellanus Sandecensis *(veluti Magni Consilii Seraphin) Thronis & Majestatibus adstitisse visi, quas illi Curas non suscepere, vel ad protegendum ab incursibus hostis Imperium, vel ad reparandam Solii Majestatem, vel vindicandam Magistratibus authoritatem, vel comparandam Legibus reverentiam, vel ad inducendam pacis tranquillitatem, vel ad stabiliendam Religionis securitatem. Quos Illi bellorum strepitus non sopivere, quæ Martis incendia non exstinxere, quos exercitus non attrivere, quam rebellionem non domuere, quam audaciam non repressere, quam violentiam non sustulere. Quæ æraria non exhausere: vel seminandis beneficiis, vel comparandis affectibus, vel amplificandæ Gloriæ DEI, vel exstruendis Catholicæ Religionis monumentis. Tacere Oratores coguntur, ubi lapides de pariete clamant, ipsaque muta marmora in suorum Elogia Fundatorum desudant. Unde, ubi Desertа Religiosa diserta fiunt, Harpocraticum decet silentium observare. Succedit Iure hæreditario Numæ Pompilius, pio Anchisæ non degener filius Æneas* Illustrissimo *MICHAELI JOSEPHUS* Generalis S.R. Majestatis *vera Imago Paternæ Virtutis, viva pictura & expressio. Hæc est quædam naturæ vis. ut elephas pariat elephantem, Aquila imbellem non progeneret columbam, Leo magnanimus non procreet timidum leporem. Succedunt Fabiis Scipiones, Camillis Decii, Octavianis Vespasiani, Aureliis Constantini. Gratianis Probini, adeo: ut honorum Soles, si his occidunt, oriantur aliis, si his fatales invehunt noctes, aliis diem accendant exoptatum. Excitârunt ex somno Themistoclem Miltiadis trophæa, non uni Julio etiam pictus Alexander ultro sangvineas elicuit lacrymas, plures Pompeios ad exercendos actus heroicos, Cæsaris fortuna excitavit.* Illustrissimum *IOSEPHUM ad decantandum Martis lituo triumphale Io tuba* MICHAELIS *stimulabat. Indagant alij Polysthemi cum Samnitibus pugnas, Gigantum cum Iove certamina,*

Alcida

Alcidæ cum Geryone conflictus, Iulii cum Pompeio Pharsalias, Amilcaris cum Scipione congressus Illustrissimus Generalis *Paternam intueri virtutem præ omnibus his putabat benè sufficisse, quem ad maxima fomitem non torturam Perilli, vel Iuvencum Phalaridis, sed amicum animi delicium arbitratus. Sistit se iterum speculator animus ad magnum STANISLAI* Castellani Osviecimensis *Nominis ethymon, quid significet inquiris? stantem: aliâs inconcussam, inviolatam, Domus Illustrissimæ fortunam. Sunt plerisq; Illustria Nomina, quibus facta non respondent, ebullit Majorum sangvis, sed, sine vena Virtutis. Habent pleriq; splendidos Heroum acinaces, sed manum timidam, ideo illos contra hostem evaginare reverentur, jacent chalybei Antecessorum clypei, sed ignavo pulvere sordidi, ferrea Atavum Cassis, sed leporinum caput, quibus præter nomen Avitæ Virtutis, nihil superest honore dignum, imò & ipsa nominis claritas suæ obscuritatis est exprobratio.* Illustrissimus *STANISLAUS CZERNY*, Castellanus Osviecimensis, *quidquid in nomine gessit; in facto expressit, cum fortunam Lechiæ heroica dexteritate stabilivit. Adeste hùc Pharrasii & Ctesiphones, in sipilicis marmoribus sculpite aureos Elogiorum characteres. deficit scriptoria penna. atteritur calamus, ubi in Petram incidit* Illustrissimum *PETRUM* Castellani Sandecensis Filium. *Quis quæso: quasi de novo aptaretur calamus, qui tanti Viri non frangeretur Elogiis, qui allisus ad duriorem caucasô petram, non deficeret. Insuper: si totum ore exhauriret Hermum, si centenos filurarum margines occuparet, non sufficeret tanti Viri amplæ Panegyri conscribendæ. Dic tamen Musa Virum* Reverendissimum *FRANCISCUM CZERNY* Canonicum Cathedralem Cracoviensem Filium *PETRI, super hanc Petram en ædificata Ecclesia, ecce Sacerdos Magnus in diebus his, Lumen in Candelabro Ecclesiæ vitæ Sanctimoniâ, morum elegantiâ Clarissimum. Supremum Regni Tribunal Hunc Deputatum testatur Quem ratio justi & æqui instituit, Virtus & Sapientia commendavit. Loquitur suum Ephestionem ALEXANDER* Cardinalis Eminentissimus Episcopus Cracovien

 sis

ſis *loquitur licèt mortuus, qui in Corde* FRANCISCI *vivit, Va velli Coronæ pretioſiſſimum Hunc unionem appretiant, Infulis Antiſtitum inſerendum, quod ſinguli precamur, exoptamus. Sacris profana ſi miſcere fas eſt? adoro hic* Magnificam *ANNAM* Magnifici *CIENSKI & BLANDINAM* Magnifici *DĘBICKI*, Viceſgerentis Neo-Corcinenſis Conſortes. *Non ſic ornant Luminaria Cælum, annulum Gemmæ, lilia Hymettum, quàm Hæ Romuleis pares Valeriis* Domum Illuſtriſſimam *HEROINÆ. Eſt quid mirer in* Illuſtriſſimo *ANDREA CZERNY*, Castellano Sandecenſi, *eſt quid in* Illuſtri *MICHAELE* Dapifero Volchiniæ *Ejus Succeſſore adorem. eſt quid in* IOACHIMO PETRI Castellanidæ Filio *ſuſpiciam. Singulos parî Elogio celebro, Quorum heroicæ dexteritatis, rebus in peragendis ſolertiæ, memoriam nulla reticebit ætas, nulla obliterabit vetuſtas. Mihi ad eorum gloriam innuiſſe ſat eſt, tales fuiſſe: quales ſæpius exoptabunt ſæcula, & raro habebunt. Teneri ſub roſa non poteſt* Illuſtris *ac* Magnificus *FRANCISCUS* Pocillator Parnavienſis, *ſpecioſa Campi Sarmatici roſa, Majorum æmulus Miltiades & Corona. Ut pacem Patriæ pararet, Bellonæ nupſit, ſuum ſcripſit Sangvine Nomen, ut ſciret poſteritas etiam Domi CZERNORUM Sangvine benè potos non defuiſſe Scriptores. Taceo hìc plurimos alios conſulto prætereo quibus Scutum, Galea, Lorica & chalybea caſſis diſertiſſima erat Panegyris, ferrei quibus acinaces debilioris calami vices gerebant. Operum ſuorum Cælum teſtem appellant, heroicæ dexteritatis teſtimonium à Syderibus ſumunt: numera Stellas ſi potes. Unum tamen præterire non poſſum in tribus Charitibus* Illuſtriſſima *CHRISTINA de* CZERNIIS Magnifici *BRZYCHWA dein M.* LOCHOCKI, Capitaneorum Krzeczovienſium, *THERESSIA* Illuſtris & Magnifici SENDZIMIR Enſiferi Zakroczymenſis & *ELISABETHA* Illuſtris & Magnifici ANKWICZ, Castellani Zawichoſtenſis Conſortibus, *in Quibus omnis morum habitat perfectio, prudentia, maturitas, actus rerum Viriles, & nihil præter Sexum muliebre. Excelluerunt pietate Cornelias, dexteritate Amazones, gravitate judicij Olympias,*

quas

Quas si nemo nôsset ex fructibus Arbores cognovisset. Illustrem & Magnificum *ANDREAM SENDZIMIR* BURGRABIUM Cracoviensem, IUDICEM Castrensem Sandecensem dignissimum Filium *IERESSIÆ reverentiali adoro humagiô, Hic Vir justitiâ Aristides, pietate Numa, legum interpretator Licurgus, IERESSIÆ Matris maximum est Elogium. Non prius hic decreta format quàm Superos consulit, nec citius definitivam fert sententiam, donec* CHRISTUM *pro Tribunali sedentem adoret. Ideo æquitatem Ejus Iustinianus eum Astræa commendat, Fora, Areopagi Tribunalia, Castra & Territoria approbant, approbando curant imitari. Boni Superi qui bonos præmiare consveverunt, Optimum hunc Virum altissimis quòd ornabunt Honoribus auguramur. In magnum Ille Patriæ ornamentum feliciorem Prolis Decadem cum* Illustri *&* Magnifica *HELENA JORDANOWNA prodidit gloriosus. JOSEPHUS & CAJETANUS in* GENERALI SCHOLA REGNI *doctos excitant pulveres. in Olympum Honoris evasuros STANISLAUS MICHAEL & NEPOMUCENUS ad Paternum splendescunt focum, postea ad meridionalem perennis famæ Solem* Illustrissimi Nominis *gloriam accensuri. ELIZABETHA* Illustris & Magnifici *ANKWICZ*, CASTELLANI Zawichostensis Consors *una de prudentibus Virginibus pingvi Literarum & Virtutum imbutam oleô Lampadem Ecclesiæ in perennem conjecravit Victimam* Perillustrem *&* Reverendissimum *ANDREAM ANKWICZ*, CANONICUM Cathedralem Cracoviensem, *ad præsens Tribunalis Regni* DEPUTATUM. *Excederet captum Oratoris de futuris augurari, de subsequentibus discurrere, nisi liceret ex ungve Leonem, ex pollice Gigantem metiri. Hic qui nunc Tribunali assidet* DEPUTATUS *quòd altissimas Honorum occupabit Curules Senator, non vano infero omine. Quid dicam de* Illustri *&* Magnifico *STANISLAO ANKWICZ*, DAPIFERO CRACOVIENSI, *cui non satis erat à Matre ELIZABETHA CZERNA traxisse Sangvinem, nisi* Illustrissimæ *SALOMEÆ* Filiæ Tuæ, Mecænas Illustrissime, *connubiali maritaretur nexu. Didicit hic Heros more*

 Roma-

Romanorum celebrare fontinalia, didicit coronare fontem quem hauserat, redire ad Oceanum à quo amnis profluxerat, didicit adorare Solem, à quo splendorem derivaverat. Debetur illi vicissim ab Illustrissima CZERNORUM Domo *æstimatio, debetur à singulis reverentia, à me verò decorum silentium corona esto. Præstaret hic singulos ordine Heroas, fortes Camillos, infractos Eacidas, dextros Amilcares, prudentes Catones, aureô notasse stylô aut saltem gloriam eorum Posteritati commendasse, qui hostili Tabo Martiales inundarunt campos; ni temporis injuria, arcti folii incapacitas, debilis Encomiastæ ratio abstitisset. Quem amorem in Patriam, quam pietatem erga Superos, quem Zelum in hostes exererent CZERNII, fama publica probat.*

Singula complecti cuperem sed densior instat,
Gestorum Series, laudumq; sequentibus undis
Obruimur.

En Fasti indicant, Tribunalia loquuntur, amplissima Consanguinitatis & Affinitatis edocet Genesis. Nomina Illustrissima *indigitant.* ŁOCHOCCII, SZEMBECII, ANKVICZCII, TRĘMBAIERSCII, NIELEPCOVII, POPIELII, JSOLECCII, MACHOCBECCII, KICINSCII, RADZIKOVSCII, ZARSCII, DĘMCII, HENNIKOVII, KRASNODĘMBSCII, CIENSCII, GUBICCII, MAŁACHOWSCII, SĘNDZIMIRII, WYKOWSCII, JORDANES, WOLMIENIECCII, KRASINCII, DEMBINSCII, UKOSCII, BRZYCHVII, DOBRZANSCII, OLSZAMOWSCII, TELEPHUWIECCII, LIGĘZYI, BARANOWSCII, DEBOLII, KARSOVII, CZOŁCHANSCII, ŁODZINSCII, ZALESCII, RZYNICCII, KOSSAKOSCII, LASOCCII, PIASECCII, MIAMOWSCII, TYNICCII, GACCII, KOMARCHACCII, LINIEWSCII, SKOWSCII, BOGATKOWII, SŁAWĘCCII, OBRAMPALZUKOWSCII, ADRONOWSCII, DORYNII, CHRZĄSTOWSCII, SCII, JASZOWSCII, TARNOWSCII, KUPIENIĄSZKOWII, PUKARZOWSCII, WILKOCCII, RUNICCII, MICICCII, DRUZBACCII, MARKOWSCCII, KALISIEWSCII, WIKTOROVII, KONARSCII, DUNINI, RUZYCCII, NOWSCII, RAYSCII, PRUSZKOWSCII, CHWALIBOGOWII, GOŁUCHOWSCII, &c. &c.

Hinc si mihi præsagire licet? stabit in ævum Domus Tua Illustrissima, nunquam Summîs non Augustà Titulis, nunquam *Magni-*

Magnificis non suffulta Basibus, in quam quot Nomina tot Numina suis influunt Splendoribus, quam faciunt Serenissimè radiare. His tantisper abstergere calamum fas est, nec fundat sepia atramentum necesse. Sublimitatem Operum quæ gessere CZERNII, si tantillum tenuiori attigi pennâ, vix me tanto primi Operis puncto stare videor. Inter præcelsa Illustrissimæ Consangvinitatis & Affinitatis *Decora, si quidquam Spectatori oculo intueri lucuit, Tibi* Mecænas Illustrissime *attribuo, quidquid in aliis Gratiæ, Lucis, Majestatis, Honoris, Heroicæ Dexteritatis deprehendi, Tuam id omne abit in Panegyrim.*

Cedant arma Togæ, cedant miracula Mundo,
Vnum pro cunctis, fama loquatur Opus.

Tua SENATOR ILLVSTRISSIME *Purpura dum in paginam venit, singulos Avûm Atavûmq; exhibet* Splendores. *Quid TVIS Heroicis Operibus majus, quid præcelsis Animi Dotibus sublimius, quid innata Benignitate majestuosius haberi vel sperari potest, utpote: Qui in Negotiis* Serenissimæ Reipublicæ *Solertissimus, pro Bono Patriæ Stator zelosissimus, in publicis Regni Functionibus Gloriosissimus, in colligendis Triumphalibus Palmis Felicissimus, in consulendis, regendis, resolvendis ad salubritatem Boni Communis, Ingeniosissimus, Maximi Senatoris Ideam in Te expressisti. Hæc narro: & quod Maximum est; jucundissima Gloriæ Tuæ portione ut fruaris in Nepotibus Nepteq;* Illustrissimis, *TERESSIAM* Illustris & Magnifici Domini IOANNIS ŁOCHOCKI Capitanei Krzeczoviensis, MARIANNAM Illustris ac Magnifici IOSEPHI SZEMBEK, Ensiferi Ostrzeszoviensis, SALOMEAM Illustris ac Magnifici STANISLAI ANKWICZ Capitanei Tarnogorensis Consortes Filias Tuas Dilectissimas, *memorare fas est. THERESSIA Quæ & quanta sit? hinc conjicio: quando in summum* Domûs Illustrissime *Ornamentum, CORDVLAM Magnæ Spei FILIAM prodidit. Prodidit CORDVLAM verius dixero PANDORAM: Cui Diana cessit oris elegantiam, Pallas animi prudentiam, Iuno morum gravitatem, Ve-*

stalis pudorem. Cujus frontem commendat serenitas, Os inhabitant Gratiæ, labra colorat Aurora, compositionem omnem insinuat Helena, staturam componit Camilla. Superûm beneplacitô huic Nomen collatum CORDULÆ, vel ideo: quod Primorum in Orbe Polono Magnatum Corda, in sui affectum provocaret. Unde non abs re sibi consuluisse videtur Illustrissimus & Excellentissimus Dominus MAŁACHOWSKI, Supremi *CANCELLARII* Regni Filius, *Qui non prius Exoticos statuit visitare Soles, donec hanc* AURORAM *amicam sibi adorâsset. Parce parco elogio* Illustrissimi AVUNCULI, Illustrissima Neptis. *Bene tamen spera: quando splendidas Hymenæus accendet faces, quando Geniales ardebunt thedæ, quando cordium Imperator Amor suum occupabit Solium, largius me* TIBI *tributum soluturum.* Illustris & Magnifica *MARIANNA* Illustris & Magnifici SZEMBEK, ENSIFERI Ostrzeszoviensis Consors, *quod sit Pallas* TE GENITORE *Sata, concipio:* Tuis *se adeò conformavit exemplis, ut nihil in Sapientia sua elatum; nihil in Majestate tumens, nihil in moribus à rectitudine devium, nihil in actionibus à medio erans, crytiçus in ea oculus observaret. Quid majus ad bonitatem naturæ ejus defuit, cum CASIMIRUM Libatum* PRINCIPEM, *SZEMBECIARUM Rosarum præcelsius in ornamentum, & ALEXANDRUM extra Macedoniam re & Nomine Magnum Filios, publicæ Luci visendos exhibuit. Inscripti teneriori tiliæ characteres si quoq; in Arbore leguntur, non spes in herba: Flores hi quod in altissimas Gloriæ immortalis excreverint Cedros, inferre licet. Felicior Ævi præsentis Camilla,* Illustris & Magnifica *SALOMEA Dea & Idea pulchritudinis, ibit in memoriam sæculorum hæc Sarmatica* CORNELIA, *sed Vobis Comitibus* Illustres & Magnifici *FRANCISCE & THADÆE ANKWICZCII Magnæ Matris pares Filii. Genuini Vos estis Aquilæ Polonæ pulli, evolabitis ad Solem perennis famæ Serenissimum. Præterea hic HEDVIGIM* Magnifici POPIEL, *ANNAM* Magnifici SOLECKI, *BARBARAM* Magnifici RADZIKOWSKI, *HEDVIGIM* Magnifici ZARSKI, *CATHARI-*

NAM

NAM Magnifici MACHOCKI, Consortes & *CONSTANTIAM Virginem, cum hæ maturâ prudentiâ, innata bonitate, millenô Virtutum stipatæ satellitiô, jam pridem expectationem Sæculi præsentis coronârunt. Loquar tamen (si fas est renovare dolorem) piæ memoriæ* Illustrem & Magnificum *JOSEPHUM CZERNY*, Filium Tuum Vnigenitum, *Foret ille adamantina* Domûs Illustrissimæ *Columna, foret (dat Mater* Universitas Cracia *Testimonium, cujus ubera suxit) Altissimorum Candidatus Honorum, ni invida Magnis Atropos hunc speciosum* Campi Sarmatici *Florem exotico sub Sole adultum, acuta succisum falce, ad Æternitatis horreum avara manu apportâsset. Compensârunt tamen benigni Superi hoc damnum, dum præter eggregiam* Illustrissimorum Nepotum & Illustrissimæ Neptis Indolem, Magnificus *ANTONIUS CZERNY* Frater Tuus *ADAMUM* CAPITANEUM Parnaviensem *jam quasi invalidatæ in JOSEPHO Genesis Tuæ Reparatorem prodidisset. Ne metue* Illustrissime Mecænas *de interitura Domûs Tuæ Gloria ab uno hoc ADAMO tota* Illustrissimæ *CZERNORUM Gentis dependet Generatio. Ad præmissam ornatûs Panegyrici pompam, id tandem superest, ut Te* Mecænas Illustrissime *canam, qui hactenus arvorum Cultus & Sydera Cæli cecini. Meridionalis licèt Gloriæ Tuæ Majestas non patiatur se intueri citra lacrymarum pœnam, immensa quanquàm factorum Magnitudo gravem portitori animo minetur pressuram, tamen Gratiarum Tuarum provisus velamine oculus & favorum circumvallatus Ethesiis animus, minas & lacrymarum pœnas non reformidat. Quod majus est: si contra Tuam peccantem Magnitudinem pro pœnitentia ad arctos gratæ mentis destinabis carceres, ego & de profundis clamabo Magnalia Gloriæ Tuæ perennantis. Si Gentilitio* GLADIO *reum supplicii percuties, ego me aureum ex Tuo, sicut ex ictu Midæ spero evasurum. Si denique non bene lotum erudita Hypocrene, Avitis præcipitabis* FLVMINIBVS, *fortunatior Cæsare vellificabo,* AURI ACHENÆ *veluti anchorâ tutißimâ munitus. Herous* Tuus Mecænas Illustrissime *Animus inter furentes Gradivi strepitus imperterritus, in*

ter obscuras Bellonæ noctes serenus, inter ardua non fatigatus, non me immunem reddit ab opere quod cepi, non absolvit à labore quem ad finem non deduxi. Exigis PROTECTOR AMPLISSIME *àreo obsequii Cliente debitum Elogii tributum, commendandarum Augusta Rerum Dignitas, me jubet esse obsequentem. Canâ nive tectus* SENATOR, CASTELLANA *decoratus Curuli, quid summa Fortuna posset, cum summa Virtute, gloriosa Orbi documenta reliquisti. Subsellium occupâsti Senatorium, non prece vel pretio, non per stratagemmata & dolos, sed Heroicis bellicæ fortitudinis experimentis, comparatis Regum* SERENISSIMI AVGVSTI II. *& feliciter nobis Imperantis* AVGUSTI III. *affectibus, ingenti trabeatæ Virtutis stipatus Satellitio. Nihil unquam fuit Gloriâ sublime, nihil Martis decantatum Classicô famosum, nihil Virtute magnificum, nihil Fortitudine commendatum, nihil Constantiâ firmum, Consiliô grave, Prudentiâ maturum, Fortunâ beatum, Honore Illustre, quod vel Gen*tilitiis FLUMINIBUS *ab Avis Atavisq; ad Te non devénerit, vel per bella Avito Acinace gesta, vel per fœdera cum* Illustrissimis Familiis *inita in* Te *non confluxerit. Filiumnè Te an Patrem Patriæ nominare debeam, nescio: Qui hæc congesta tenes, quæ dispersa, alios beatos effecere. Sublimitas Generis usq; ad Curules, NaturæGratia usq; ad stuporem, animi Sapientia usq; ad Superos, publica Regni Munia usq; ad invidiam Senatûs evexere. Attigisti concatenata meritorum Serie Supremum Gloriæ Apicem, & cum omnia sublimitate Tua excederes, hâc unicâ vectigalem injuriâ affecisti calamum, quòd eò enitendi facultatem ademeris, quò Tua sese Virtus per populorum plausus, per Majorum apparatus, per Clientum apprecationes elevavit. Quare id sublimi agendi Opere effecisti: ut non Orationis sed Adorationis sis materia. Quinquagenarium Ætatis annum jam finiisti, imperâsti novum Magni Iubilæi Annum, & universalem dedisti absolutionem ab Opere Oratori. Superâsti perennem sæculi facundiam, ut cum de Te plurima dicantur, plura supersint dicenda. Ergo permittes saltim ore hoc quod gestorum Magnitudine occlusisti, calcanea pedum Tuorum deosculari. Fateor ego me Tibi* PROTECTORI AM-

RI AMPLISSIMO *jure multiplici debere cultum, obsequium, venerationem, gratitudinem. Quare propono nunc & in posterum Tua deprædicaturum Opera, quò ad vixero. Habebis Tu Trajane me Plinium, Tu Pyrre me Cyneam, Tu Auguste me Homerum, quamvis re quàm verbis disertiorem. Vivet in me & nulla temporis obliterabitur vicissitudine perennis gratitudo. Tu gratiarum sparge seminas erunt suo tempore manipuli. Ego*

Munera muneribus donis ut dona rependam
Me fore mancipium spondeo, juro Tuum.

Ita fateor,

Illustrissimi Nominis Tui

Obsequentissimus Cultor

M. ROMUALDUS FLUDZINSKI,
Philosophiæ DOCTOR & PROFESSOR
in Universitate Cracoviensi
Author Operis

PROGRAMMA

D. Simon Lipniccius Patronus Regni Poloniæ

ANAGRAMMA

P. non plus ultra es, cecini Nominis prodigió.

EPIGRAMMA.

Non Plus Herculeas attollat fama Columas?
Altior Plus illis *es* mihi Dive SIMON
Nominis (ut *cecini*) ſiquidem Te prohis *Ultra*
Solem *Prodigio*, ac Orbis utrumq; Polum

ORATIO

QVid est A A. quòd honorariis superba Apicibus capita, ad Titulorum decocta Soles ingenia, victricibûs toties redimita sertis tempora; in Schola Virtutis nihil proficiant, nec palmum ad palmam procedant, metum pro meta, scopulum pro Scopo obtineant. Ergo nè adeò lubricum Virtutis iter, quod etiam ferreô armati Stylô Lescones, citra casum non decurrant, citra periculum non absolvant, ergonè Schola Probitatis anceps omnino Labyrinthus est, cujus incognitas semitas, audaciori tentantes animo Thesei, spe & metu hærentes, optato nunquam potientur eventu? minimè: non hæc Virtutis sed Honoris injuria! Illeest rebellis Catilina: pacificam Virtutis turbans Rempublicam Ille est portentum Clodius: tormenta malesana movens, ut nullum sit Probitatis vestigium, nulla rectegestorum Semita, ideo: rara Phænix in Orbe Soboles, rarius Virtutis cum honore connubium, qui nunquam adinvicem convenire visi, nisi alterutrum tendat ad interitum. Passibûs ambiguis fugiunt, nec in una sede morantur. Fraterno primi maduere sangvine muri: en Virtutis cum honore Consangvinitas. Bella per Emathios plusquàm Civilia Campos, cædes Pharsalicas, Iulii cum Pompeio conflictus, canit Lucanus: en Virtutis cum honore Affinitas. Nec Cæ-

lum duos Soles, nec Solium duos patitur Principes, en eorum Cognatio. O tempora o mores! etiam trini in Cælo Soles aliquando visi Virtus cum honore juncta prodigium est, quô majus nec ipsa parens monstrorum Africa producere potest, Citius Mulciber Neptuno, sævaq; Nemesis Gratianis cohæret, citius tu Icare ceratîs pennis flammeos Phæbi æmulaberis æstus, citius tu Promethee luteos animabis stipites, citius tu Mirmicida de lapidea semente sperabis ferax messilegium, aut tu Augustine integrum Oceanum exigua sociabis cavedine, quam hæc duo contraria adunabis. Cur ita! Honorariæ secures plantationes virtutis excidunt, dignitarii fasces infantes animos infascinant, purpuræ rubore afficiunt, directriciæ virgæ insontes cædunt. Insuper, minacia Sceptra in plectra degenerant, Aurea Poma in fulmina abeunt, Coronarum fulgor in fulgura cedit, Insigniorum Clenodia grandinem subministrant, adamantini cordium Arietes in boves Phalaridis adolescunt. Clavæ & Scipiones calami vices gerunt, verticales Diadematum Cruces in supplicia abeunt: ita plures armantur, omnes crucifige clamitant, ut probas Charites opprimant, feriant, inficiant, concutiant, premant, proscribant, & martyrisent. Heu rebelles effrænæ licentiæ ausus! heu deplorandam Virtutis injuriam! ergo nè probæ Charites Regum Majestatibus non adstabunt? Imperatorias non moderabuntur habenas? ergo nè splendidi Virtutum adamantes, Principum Mitras & Diademata non ornabunt? sic sanè: Serenissimi Titulorum Soles minora extingvunt Sidera, Dignitarii apices (veluti Giganteæ in Libano Cedri elato fastu pigmæa arbustula) despiciunt probitates. Ebria magna felicitate capita, non prius tumidam excutiunt mentem, quàm virtutem pellunt in exilium. Abstrahunt à recta operandi regula trabeatæ mentes, inferunt Fastum dum feruntur Curules, pariunt arrogantiam maritatæ Potestates, invehunt invidiam Hesperidum poma, accendunt tumorem Titulorum splendores, Throni & Diademata stratagemmata moliuntur. Ita: quæ lux dat fasces eadem dat sumere fastum. Hæ sunt scabrosæ rupes, in quibus decurrendis cespitârunt velocissimi, defecerunt fortissimi,

occubu-

occubuerunt invictissimi. Ad hoc caucasum Apicii, Antiochi hebetârunt suæ dexteritatis arma, quibus olim pro Libertate & Salute Patriæ certaverunt. Hôc præcipitio: suffocati Curtii, naufragati Leonidæ, sepulti Fortunati. Ad hunc rogum: exussi Scevolæ, incinerati Herostrati. Hîs decumanis fluctibûs: Naves Aurea Libertatis merce onerariæ, Classes divitem Regnorum portantes fortunam periere. Hac in Vulcania: ad incudem & malleum, cæca Rameusis, identidem compedes & Coronas cudit, cudendo ludit, imponendo deponendo: alias; si Caput diademate ornat, animum pondere vitiorum onerat, si manibus Regnorum Fasces porrigit, serviles pedibus injicit catenas, si aurô contexta Chlamyde Principes cooperit lacertos, tunc animo omnem Virtutis demit apparatum. Iudicâstis hic forsitan AA. me à tramite deviâsse veritatis, neq; id, quod honorariis Fascibus reverentiam, sed quod contemptum pareret expressisse? sed erroneum hac in re corrigite sensum, dubium emendate animum. Didici adhuc humanioribus Literis, quis deberetur Majestatibus honor, quæ Magistratibus authoritas, quis Principibus cultus, quod Rectoribus obsequium didici. Exosculor Serenissimis obsigillata Ceris Privilegia, pareo justis Superûm & Superiorum jussis, obtempero Majorum mandatis, cum hæc & ab apibus in suas Matres & à feris in Leones, & ab avibus in Aquilas, jure naturæ servatur & observatur obligatio. Possent probæ Charites in Majestatibus Thronis & Soliis nidificare, nisi: fœdissima nutrix ambitio vestibulis foribusq; Potentum excubet, posset lumen Virtutis in lampade Honoris nicticare, nisi fumus vitii splendorem extingvat, posset satur opibûs Crassus alienæ subvenire inopiæ, nisi opulentiam sequatur avaritia, quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Posset is tueri Iustitiam, cui honor pro scabello populorum cervices, pro sede subditorum capita, pro Sceptro dominatorem reddidit acinacem, nisi fera tyrannis animum Regnantis occupâsset. adeo: habet honor ad obsonium virtutis. Aurea Hesperidum, poma sed ad ea venenatus draco pervigilat, habet divites extra Africam Thesauros, sed quos armati Gryphes custodiunt, habet Serenos Elisii valles,

les, sed trifauco Cerberi munitos hiatu, habet Paradisi delicias, sed flammeo acinace formidandas. Habet rosas: est aculeis armatas, mel: sed vepribûs obsessum, portum: sed decumanis fluctibûs obvolutum, diem: sed nocte vitiorum obscuratum. Cujus cum Virtute connubium, arcent spinæ, terrent aculei, prohibent tempestates, confundit caligo, impediunt Gryphes, avertit Draco, flammei acinaces remorantur. Oratoriæ lucubrationi si non datur fides! fidelem rerum Magistram experientiam consulite verius dicti habituri argumentum. En pudet purpuras loqui, quòd avaros Cræsos, superbos Tarquinios, ambitiosos Promotheos, insolentes in muscarum venatione Domitianos, ad summorum viciniam Icaros, Matricidas in Solio Nerones, deliciosos ad Capuam Annibales, fastuosos inConviviisHorodas, ad absolutum potestatis usum dissolutos Macædones, habeant Candidatos. Vnicum plenis buccis divulgant Titum, plures silent Caligulas, quos jam claregestorum vilitas, jam heroicæ dexteritatis absentia, jam meritorum obscuritas, jam immoderata eminendi cupiditas, jam prostituta in enormi crimine agendi licentia, Virtutis capessendæ damnat, decernit inidoneos. Ergo definite jam superbire Augusti sua verendi in Purpura, definite jactare paludati in Auro Macædones, definite diadema, fasces & purpuras ostentare Honorii, definite de bustis combusti Ilii, ad funestos fumos Dardanidis, barbaras Avorum exponere imagines, hæ enim rotæ tormentariæ suos desiderant Zizissos. Seminastis marmora Deucalegones, lapideam messem truculentiMirmicides collecturi. Vestro honore, verius onere quid infelicius? sub quo pondera malorum miseri sustinetis Enceladi, Virtute Seraphica quid felicius? sub qua mens demissa veluti Mons Olympi ipsis æquatur Superis. utiq; aurei mali; etiam mali Nerones gustant saporem, ad Honorum metam etiam fraudulenti perveniunt Lescones, Terminum Gloriæ Seraphicæ is solummodò tenet, quem rectefactorum meridionalis claritas, vitæ intaminatæ abyssalis humilitas, reddit commendabilem. Sed hominem inter homines quæro: non cum face Diogenis, ast serenissimum diei hodiernæ Præsidem Planetam

accenden-

cendendo, Quis eſt iſte & laudabimus eum? LIPNICIVS DIVINISSIMUS, Ille nam eſt: Qui ex tortuoſo mundi labyrintho non ductricibûs Ariadnæ filis ſed Religioſis funibûs evaſit, manuducentibûs FRANCISCI dexteris, felicior Theſeô terminum Vitæ Beatæ obtinuit. Ille eſt: Cui pro Capite ceſſit Sapientia, pro pectore pietas, pro manibus fortitudo, pro pedibus conſtantia, pro anima humilitas, ceſſit. Ille eſt: pro Quo tot laborâruut ſæcula, tot ſudârunt ætates vix tamen Vnum poſt longum expectationis edidere ambitum. Cui parem anteacta habuiſſe tempora dubito; poſthuma tamen ſine dubio affirmo non datura. Ergo non erit hyperbole ſtante hoc præmiſſarum aſſenſu ſi HERCVLEVM NON PLUS ULTRA Gloriæ Seraphicæ ad Anagrammaticum Montem SIMONEM Diviniſſimum demonſtravero. Lubricum quidem Argumentum propoſui, arduum Opus ingredior, dies hodierna dies Sacra quieti non laboribus eſt, pœnam criminis ne ſubeam, da Seraphice Pater Indulentiam. NON PLVS VLTRA Gloriæ Seraphicæ facilius LIPNICIVS Diviniſſimus prodibit ſi plus dicturo ultra finem attentionem non negabitis, quam ſupplex imploro.

TErminalem heroicæ dexteritati metam ſiſtere ad Garamanticas Columnas pridem attentaverat ſed non conſumaverat Hercules, qui quantùm à veræ Virtutis diſceſſit ſemita, tantùm à ſuæ meta gloriæ aberravit, AA. Sed falleris quicunq; putas unum tantùm Herculem ad terminum bonæ famæ ſtadiodromum egiſſe. ubi quot homines tot ambitioſæ Competitores Gloriæ obſervare licet. Arridet omnium palato boni Nominis portio, quæ ut ſvavius avidum ſatiet appetitum, operoſo conditur labore, & ſalſo frontis perfunditur ſudore Nullus humanæ induſtriæ eſt conatus, nulla cogitatio, nullus affectus, qui ad hanc beatè vivendi conditionem non aſpiret. Hanc ſuſpicit oculus, meditatur animus, aſpirat pectus, ad hanc progrediuntur pedes, ad hanc panduntur brachia, extenduntur manus, & totum vitæ humanæ impellitur deſiderium. Hi in curribus Æmiliorum, illi in equis Trajanorum volvuntur, ultimam Orbis thulen peragrant, ut ſaltim ibi finem ſuis imponant votis. Ideo Claſſes fluctivagas inſtruunt Iaſones, cataphra-

F ctos

ctos milites instituunt Gradivi, ideò coëunt fœderata sociorum auxilia, conspirant conjuratorum potentiæ, coguntur exercitus, explicantur acies, inflammantur animi, & cum nihil habeant qui magna sperârunt, suam incusant levitatem. Armatos inter caneos educantur Amilcares, in ferreis struthionum visceribus recrudescunt Mavortes, chalybeam telorum sementem arenosæ telluri inseminant Lescones, rigidâ fraterni sangvinis inspergunt pluviâ, ut in ferax Gloriæ sobolescat messilegium. Alii hastâ erudiuntur ad Sceptrum, galeâ parantur ad Coronam, loricâ instituuntur ad purpuram, servili ferrô ad aureas Regni instruuntur habenas, bellicis tumultibus ad obtinendam Reipublicæ fortunam aptantur: & dum tenet Sceptrum, induunt Purpuram, portant Diademata, imperant Regnis, nondum avidum satiant appetitum. Hic Cæsar undecies centena nonaginta duo millia hominum, ad squallidam Libitinæ destinavit pompam, illinc Pompejus vicies centena octuaginta millia occisa, fugata & in ditionem accepta, memorandis inscribit fastis; ut sic in hostili sangvine natando, ad portum Gloriæ perveniant, & per calcata cæsorum Capita, Altum honoris ascendant; ast ubi per vulnera & cædes partam habere voluere gloriam, livoris metam prætergressi, illum obtinent Scopum; ad cujus centrum exoculatus collineavit appetitus. Sed quid ego magnâ ebrios insaniâ incesso? oleum insuper & operam perditurus. Parco lugubribus, ne Solennibus tristitiam ingeram vel in calamitate argutias vestigem, quin Laconico passu vel Oratoriâ decempedâ effrænem illorum stultitiam vel fugiam satius quam complecter. Avertite animos & Vos AA. ab ea præpostera adeundæ Gloriæ semita, quam mentis vesania, animorum corruptela, Virium lassamentum, vitiorum lues insequitur, Ambitio est impotens per aliorum neces & funera, periculosa est gloria ad quam nonnisi ferreâ semitâ pervenitur; Diu stare nescit qui per cædes aliorum surgit, parta per violentiam fama citius impellitur ad ruinam. Adesto, Magne olim Alexander, bellicis in altum elevate tumultibus, inepta est tuæ Excellentiæ mensura, à prostratis hostium capitibus. Adesto lubricæ

sortis

ſortis prodigium Pompei, quò te evexit fortunæ rota, quò Martialis elevavit fumus? quò triumphales currus detulere? dic mihi ubi ſunt victricesCorymbi, ubi populorum plauſus, ſubditorum cenſus: periere, periere, cum auræ ſonitu, Vanum ergo eſt triumphales Martis lituô decantare nænias, vanum ſangvine hoſtium in arena Gradivi ſcribere characteres quos lethæus tollit Aquilo, vanum innocuo cruore perennem nundinari famam, inane Magnos imitari Philippos quos aliena pericula elevârunt. Non hoſtes ſed ſe ipſum vincere, non aliis ſed ſibi frena injicere, catenas imponere, hoc Gloriæ opus memorandum. Senecæ ſentimentum eſt; ſe ipſum quam hoſtem ſuperare operoſius. Non invideo laborem magnis ad Bellonæ æſtus bellatoribus, cùm majus ſit mundum contemnere, carnem domare, Sathanæ reſiſtere quàm tercentos Fabios una ſuſtuliſſe die. Vidimus tot Viros duriori chalybe hoſtili incubâſſe cervici, rarum qui ſervile jugum ſuis imponeret deſideriis. (a) Innumerabiles ſunt qui Urbes, qui populos, in poteſtate habuerunt, pauciſſimi qui ſe ipſos. Cognovit id bene LIPNICIVS Divinissimus, ideo non per ſtragem cadaverum, non per armorum ſtrepitum, ſed per edomitos animorum impetus, per victos affectuum obices, ad Gloriæ culmen ire voluit. Ad belli auxilium non provocavit vel ſolo nomine formidandum Martem, quem jam ſui obliti cineres, zelô amoris DEI armatus pluſquàm ferrea manu ingentem victoriam reportavit. Ad melioris pugnæ triumphum, cataphractas bonarum actionum eduxit legiones, orationis umbone, fidei caſſide, ſcutô ſpei, charitatis loricâ, pietatis cuſpide, precum armamentô munitus, Ipſe Dux & miles, Imperator & Eques, crudeliſſimum tenebrarum exercitum hac bellandi felicitate ſuperavit. Ad majus hoſtis exitium denſiorem lacrimarum effudit imbrem, ut in lubrico citiùs caderet, veluti ſulphureâ manavit pluviâ, ut avernalibus bene porum lethis deleret inimicum. Sic non effuſo cruore glorioſa ſibi integrit trophæa LIPNICIVS, ſed animi innocuo adumbravit candore, adeo: ut omnem belliludum novo vincendi genere excederet Alexandrum, Qui non chalybeo mucrone in aliena graſſatus colla, ſed rebelles cordis impetus ſervili jugô mancipavit. Proſcripſit argutas animi ille-

(a) *Seneca*

cebras non fastuosâ Trajani sepiâ, ex volucribus famæ eliquata calamis, sed Seraphicîs pennîs ardenti charitate irrigatîs. Non ambigebat ad victricem adoream horrida Libystidis ursæ humeros ornare pelle, nec Marmarici Leopardi tegmine vestiri, cum bene noverit: hos Actæones venebula mortis incurrisse, ejusmodi galeatos lepores, in ludibrium præliare abiisse. Quocunq; victricem movit gressum, ad omne vestigium pullulâsset rosa ut quondam Perseo, nisi in arena virtutis, etiamsi quid calcâsset spina fieret, reputaretur ac victoriam. Potentiorem quandoq; luctam habuit cum mentibus, quàm Annibal cum caucaseis Alpium mœnibus, Ille tamen quovis fulmigero animosior Pericle, fortissimum quantumvis cordium arietem, sibi in victimam expugnavit. Hic non unâ decempedâ metiri licuit tantæ trophæa victoriæ quæ LIPNICIVS Divinissimus ex repugnati adversantium lucta in signum consumati triumphi, suæ in metam Gloriæ elevavit. Vicit Ille mundi illecebras Religiosissimus, vicit septicipem voluptatum hydram Innocentissimus, vicit decumanos Principis tenebrarum assultus Sanctissimus, felicior Hercule sine cæde victor. Ergo Herculeum NON PLVS VLTRA Gloriæ Seraphicæ reportavit.

Historiam Orbis revolvere liceat: ubi præscriptos rebus limites jus naturæ testatur, sana Philosophia docet, magistra rerum experientia demonstrat. Adeo: ut homines ultra arbores non crescant, arbores ultra montes non emineant, montes ultra Cælum attolli non præsumant. Nondum Orbis adoraverat Romam, nondum Oceanus decesserat Tybri, quando provida Architectantis DEI Dextera, res universas in suæ Omnipotentiæ bilance sub pondere & mensura constituerat. Volvuntur Stellæ, fluctuat aër, feruntur venti, insistit terra, & circumvallatus Orbe oceanus, ita suis temperatur legibûs, ut nec tumidîs procellarum undîs Olympo naufragia ferat, nec radiantia Cæli extingvat sidera. Aspergit Phosphorus rore rosas, non tamen earum delet purpuram, insertus Coronæ Sardinius, nativo murice rubet, valorem adamanti non subtrahit, auro fulgorem non invidet. Commistus Pactolo Hermus suo contentus limite,

aliena

aliena non lambit littora, vicinas opes non absorbet. Cur ita: dicite prudentissimi Catones, scrutatores naturarum Plinii, dicite cur? vigilent Argi, dormiant Endimiones, ululent ursi, mansvescant agni, sæviant Leones, trepident lepores, moveantur Cæli, stet immota tellus, venenosus serpat angvis, sine felle volitet columba. Dicite: cur lilia albescunt. rosæ rubescunt, violæ cærulescunt, cur? aurum splendescat, adamas lucescat, ferrum recrudescat, urtica acerbescat, mel dulcescat, cera liquescat, cur? Pavo Angelus in penna, pede latro, voce gehenna, cur? Aquilæ umbras, talpæ soles affugiant? aliud ad quæsitum non dabitis responsum; nisi: quòd is sit Divinæ voluntatis genius, non omnia omnibus præstitisse, sed singula singulis detinuisse limitibûs. Ita est: etiam Cælorum orbes his parent juribus. Habent suas elevationes Poli sidera, habent diversum situm & splendorem. Stella à Stella differt in claritate & signa Zodiaci certis ab invicem distant intervallis. Sic alia aliîs majora alia aliis illustriora, per varios gradus, status, & ordines distingvuntur. Sunt suæ Cælo Hyades sed ad tristes damnatæ lacrymas, vix aliquando hoc ingubri de carcere emergunt, sunt suæ Boëtæ Arcades, sed testudineo gradientes passu, vix modicum audent inter alia signa apparere. Sed non sidera Cæli etiam arvorum cultus habent sua declivia. Nulla rosa est tam secura, quam spina non coronet, nullus tam insons flosculus cui non insidietur vespa, nulla tam serena dies quam non obscuret nubes, nulla flamma tam splendida, quam non confundat fumus, nulla arbor sine carie, nullum ferrum sine rubigine. Adeo: & ipsa rerum vitia sunt evidentes mensuræ ponderisve testes. DIVINISSIMUS SIMON LIPNICIUS dici potuit Rosa Purpurissimô Sanctimoniæ decora, sed sine spina tumoris: dici potuit Dies stans in meridie vitæ Christianæ, sed sine nube livoris, dici potuis Flamma amore Seraphico ardens, sed sine fumo Dardanidum, dici potuit Arbor vertice Gloriæ tangens Cælos, sed sine carie Daphnidis, potuis dici ferrum in superbas Hæreticorum recrudescens cervices sed sine rubigine vitii segnescentis. Alias: potuit dici quidquid dictum sed sine lemmate Zoilli. Quidquid in LIPNICIO spectare licuit, id

totum excellentissimum, totum id dignum Stylô aureô, dignum Plinium habere laudatorem. Transcendit Ille meritorum sublimitate quidquid non Supremum, abyssali humilitate superavit quid quid non Sanctissimum, omnes rerum Eminentias prætergressus voluntariô contemptu, æmulam Cæli Gloriam operum vicit Magnitudine. Attigit summum Virtutis verticem aligera Dei & proximi charitate suffultus, sprevit id omne quidquid plus ultra tenderet nec Principem perfectionis gradum adæquaret Adeo: ut Herculeum NON PLVS VLTRA Gloriæ Seraphicæ attigisset.

Quæritis quomodò AA. dicite mihi quæso quomodo ille Trismeistus unô cyatho totam exhauriit sapientiam, quomodò Antonius unico haustu universum Regni Ægyptiaci epotavit pretium, dicite quomodo Ilias in nucis putamine, in Pyrri annulo Apollo cum Musis resideret; ego vobis à paritate rationis responsa dabo. Asseritis illa esse falso paradigmate culta, ego extra omnem veritatis suspicionem Maximam Gloriæ Seraphicæ, totam virtutis abyssum in uno LIPNICIO demonstrabo. Quod mihi ut faciliùs evenire constet ab aurora ætatis de meridionali Gloriæ successu, nonnulla liceat declarare Sit alibi inglorium umbras quoq; natalium ad publicam metiri lucem, & virtutem ad prima revocare crepundia, cum ejus mensura non ex infantilibus fasciis, sed numerosis rectegestorum fastis pendeat, hic prætermittere injustum judicavi. In magna enim Sanctorum origine nihil tam tenue apparet, quod desertissimum laudationis non evincat argumentum. In LIPNICIO DIVINISSIMO eò felicius id accidit, quòd in minimis Maximum & in communibus Lucinæ fasciis probet se esse Singularissimum. Vestram ego hic appello fidem AA. oritur LIPNICIVS in loco submontano quæritis ex me quare? Non oritur Sol nisi occumbat, nec adamas Regiis in diadematibus absolvit meridiem nisi in cavernosis rupibus cunas habeat. Sic fluit de humili rivo Oceanus, sic crescit de tenui terebynthus alta. Divinissimus SIMON LIPNICIVS Qui erat in Metam Gloriæ evasurus, hanc legem naturæ debuerat observâsse. Pretiosissimus pau-

perta-

pertatis Religiosæ Thesaurus in submontanis collibus morari elegit, fatidica Seraphicæ Dodonæ Arbor, crescit sed à radice demissionis, centuplum Orbi allatura fructum, deprimitur, humilior quò fortilior. Credite mihi AA. non vana hæc est illatio: augurantur alii ex contracto ad iras vultu Gradivum ex serena fronte non frigidum Iovem, cognoscunt ex anchora Seleucum, ex linea Apellem, sed falluntur auguriis spes bonæ sæpe suîs. Quod fata volunt, Stellæ docent, aviumq; volatus Ferdinandum esse malleum Orbis falsum est: aureus nam Princeps erat. Sed ab oriente Phosphori de successu diei formare præsagium, & quod aurora ætatis materno rubicunda sangvine probet meridiem Gloriæ LIPNICIVM, inferre necessarium. Non ego hic sollicitus consulo Tripodem, quid de LIPNICII successu fatidicus loquatur Apollo, non curo domum vitæ cum Arabibus ut de benigniori siderum aspectu auguria sumam, non intueor cum Zoroastro Planetarum occursum, quid de Ejus progressibus concluserint Superi, dum Princeps Astrorum Sol cum Principe Zodiaci Leone ad hodiernæ applausum Gloriæ provecti, supremæ Ejus Virtutis exhibeant testimonium. Tempus id nunc agimus: quô auricomus Titan supremum in Sirio occupavit solium, quô fervet æstas, quô sonat aurea seges, quô septem ostiis exundat Nilus & salutari diluviô steriles Ægypti fæcundat colonos. Si dabitis hinc vaticinandi facultatem quid non prædicerem: Dicerem LIPNICIVM Phæbi lucidum Orbem lumine Gloriæ Serenissimum, cum nullus sit in virtutibus radius splendidior, nulla in operibus lux clarior, nulla in rectegestis claritas sublimior, quæ in LIPNICIO tanquam guttas in Oceano non liceret observare. Hoc tamen Sole eminentiorem quòd eclipsim obscurantis nævi non admitteret. Dicerem SIMONEM Sirium amore Seraphico ardentem, Qui intensissimo charitatis æstu, Lignum illud veteris concupiscentiæ consumpsit adeo: ut jam non homo sed Angelus in corpore videretur, hôc iterum Siriô feliciorem, quòd non caniculares accendat dies, sed aureo Hydaspe mensuranda momenta adferat universo. Dicerem SIMONEM fertilem Salutis Segetem, quam per-

 spicax

ſpicax Apocalipticæ Aquilæ prævidit palpebra, quam non aſtutæ Samſonis vulpes vaſtârunt, ſed providæ FRANCISCI Dexteræ ad horreum Gloriæ immortalis detulere. Dicerem SIMONEM Nilum non turgidô Ægypti tumentem gyro, ſed Septemplicî Spiritus DIVINISSIMI fluentem oſtiô, cujus confluentiam Chariſmatum, nec aureâ ſuperbus arena Hermus, nec gemmîs Cleopatræ pretioſus Hydaſpes poterit adæquare. Imò quidquid Vniverſus habuit Gloriæ Serenitate conſpicuum, Honoris celebritate venerandum, Gratiæ ſublimitate inacceſſum, id omne ſuperavit LIPNICIVS Culmine Virtutis trabeatæ. Hinc ne tardioris argueretur moræ terminum Gloriæ, quem attacturus erat Beatus, Manipulo Iagiellonico ſubſtituit Studioſus. Aſſvefiebat Pegaſo, ut quondam Alexander arundini, quàm generoſum conſcenderet Bucephalum. Aptabat manum literis Apollineas carpendo Laureas, antequàm manubias Coronatæ Virtutis reportâſſet. Bene novit LIPNICIVS DIVINISSIMUS, quòd ex atomis tumuere montes, unde literarios in Gymnaſiis excitavit pulveres, ut ſibi in Olympum Gloriæ tumuiſſent. In Schola Regni LIPNICIVS ut Phæbus in Sphæra Cæli, illos commendavit Generis claritas, nobilioris Lucinæ Sinus, hos obſtetricantis naturæ gratia, alios adulantis Minervæ riſus, alios ſinceræ Virtutis non ementita commendavit facies, hos & alios adæquavit LIPNICIVS eruditione quâ rari, ſuperavit virtute, quâ nulli. Pietatis decempedâ omnem laudis emenſus viam, morum maturitate annorum præivit teneritudinem, rectefactorum opere ætatis injuriam compenſavit. Giganteo Illius paſſui non Grammatici caſus injecere moras, non vorticoſi Aganippei fontes impedivere tranſitum, non ſpatioſa Tullii tempe retardârunt curſum, non prolixi Dialectici circuli intregere impetum, non acutæ Logicales Spinæ terruere greſſum, non Laurea Philoſophica quæ nulli facili de lecto venit, audacem ad quævis ardua animum potuit amovere. Incitato ad Metam gloriæ LIPNICIO nulla fuit via tam

In Univerſitate Cracovienſi Studioſus.

invia,

invia, quam non calcaret securus, nullum iter tam asperum quod non absolveret animosus, nullus transitus tam difficilis quem non superaret imperterritus. Scientifici Colles minabantur Caucaseum laborem ut Alpes Annibali, sed hunc LIPNICIVS ruguo eliquavit sudore, Objiciebantur chalybe durioribûs insistentia cardinibus Acroceraunia ut Syrtes Vlyssi, sed hæc mentis robore evertit, ad Aureum eruditionis Vellus trux vigilabat Draco, ut ad Colchydem Iasoni, sed hunc pietatis umbone necavit, trucidavit. Ita eruditum Lycæum in Honoris convertit Capitolium, Librorum Volumina in suæ Columina Gloriæ erexit, paginarum folia ad immortalitatis tabulas ordinavit, Tractatuum Capita ad sui officiosum inclinavit cultum, Articulorum paragraphos, in triumphales elevavit Arcus, verborum abbreviationes ad sui Nominis famam protendit, Argumentorum fila in infinitum laudum suarum deduxit, commata & incisa ad perfectum Encomiorum sensum & assensum formavit, gemmeas dictionum periodos ad suæ Coronam Gloriæ destinavit. Habuit quid admiraretur in LIPNICIO Cracia, habuit quid invideret Sorbonica & Salmatica Pallas, quasi diceret: frustra genuini Aquilæ Polonæ Pulli ad exoticos evolatis Soles, quam domi non potestis foris sollicitatis fortunam, venalem per dissitas Regiones circumfertis animum ad alienum focum decoquendum. potius opes Majorum deletis, quàm Nomina posterorum inscribitis monumentis. Adquid feliciores Lechiæ Iasones ad remotos navigatis Colchos? si adeo fertilia domi habeatis pascua, in quibus Aurei velleris portitor Aries educari potuit LIPNICIVS Divinissimus. Sensit id Hic Sacer Aries & Qui non alieno crimine portam voluit habere Gloriam, cornuto virtutis dilemmate, hanc ejulantis palpebræ extorsit invidiam. Alias Herous LIPNICII Animus postquam eruditam in stadio literario reportavit Lauream victricibûs tempora redimitus sertis ad Metam Gloriæ Seraphicæ elegit properare. Bene agis Vir Seraphice

Intendit ingredi Religionem.

phice: Vna linea non probat Apellem: neutiq; singula ad terminum vitæ beatæ Victoria sufficit, unus flosculus non facit Hymettum, unica Stella non constituit Cælum, gregarius miles, non arguit Exercitum, imò: ut surgat Viretum varietas florum, ut dicatur Olympus plurimi Orbes, ut sistat Exercitus cataphractæ Legiones requiruntur. NON PLVS VLTRA Gloriæ Seraphicæ sistereMagnumOpus est, quod si moliri præsumes; non sub aureo tantum Crucis Sceptrigeræ Labaro, sed sub vulneratis quoq; FRANCISCI Manibus Cruciferum debes agere, Prius quàm dixi jam fecit LIPNICIVS, citiori Hippomenæ passu ad aureum Seraphicæ Religionis Pomum properavit. Non tanto impetu ætherei Cælorum Axes ad polares volvuntur cardines, non tam volucris sagitta sinuato emissa arcu suum pertingit Scopum, non tam celerinæ elementorum naturæ ad nativum inclinant centrum, non tam heliotropium Solem insequitur, non tam magnes ad polum vertitur; ferrum à magnete trahitur, quàm non cereus LIPNICII Animus ad Mystici influxum Solis flectebatur. Pergenti jam ultra Craci mænia obstitit ad Portas Annibal, hinc Parentum planctus, quòd suorum oculorum lumen amiserint & Academicæ Palladis dolorem, quòd solidissimum suæ Magnitudinis Columen perdiderit, illinc objiciebat chalybe durioora ad superandum Caucasa. Sed hæc objectio non erat contraLIPNICIVM: nam largas Parentum lacrymas crassiori abstersit lana, validum Academicæ Palladis dolorem funibûs Religiosis cohibuit, omnem lapidem movit, nè quidquam calcaneum Ejus offendisset. Projecit divitias cum Cratete, quæsivit paupertatem cum Antisthene, arrisit conviciis cum Aristide, contempsit voluptates cum Cinnico, studuit subjici cum Diogene, lusit in adversis cum Anaxarcho, & tamen in rerum penuria ditissimus, honorum contemptu Honorificentissimus, fugâ gloriæ Gloriosissimus imò, Meta gloriæ censebatur. Appage hinc crudelis mentium tyranne! effrænes in omne nefas Libertinos immanitatis tuæ jaculis metam statue, hic prædam non expecta, victoriam non spera. Achilles est LIPNICIVS quem tua non feriunt tela, non sauciant jacula.

Exesto

Exesto nefande cordium agricola! inculta Amore DEI pectora adunco seca vomere, grande habiturus messilegium, hìc nec Segetem spera nec Messem, cum ante herbam omnis tua periit expectatio. Apponis mundi decora: sed hæc SIMON Divinissimus contemnit, applaudis dulcisono Sirenum concentu: non audit, mulces bladitias: non sentit, omnem virtutis splendorem indutus, latedi rationem inquirit, videre Quem anhelabant sæcula, erubescit apparere. Veré SIMON Angelus Apocalipticus dicendus, qui uno pede terræ insultâsse, altero maria compressisse visus, Qui superbam vitæ conculcavit Magnificentiam, oculorum irritamenta respuit divitias, maris ejectamenta sprevit cleno dia, & ne unus sibi restâsset, strictiori Francisci Regulæ se totum dedicavit. Assurge Seraphica Religio, elevamini sub-Vavellani Colles, in humili valle fixistis basim, Cælorum transcendite Vicinia, Magnitudini Vestræ LIPNICIVS Metam ponet, non tamen præscribet terminum Eminentiæ. Tollite lætas ad sidera voces FRANCISCI dexteræ, vulnere quàm ore disertiores, accendite Seraphicos in triumphum ignes, (sic Neapolis Pompejum, sic Athenæ Antonium salutarunt in Lampadibus & universis tectis fulgentibus (b) si Vobis oleum deficit, etiam proprium cruorem ad thedas daturæ. Sed ne hîs radiatus fulgoribus LIPNICIVS, futuræ adumbraret meridiei Majestatem, phaneticos præterit splendores, ad Seraphici Amussim genii suum reflectit ingenium. Sic clarior sub nubilo Phæbus, inter caliginosos spinarum senecs pallent Hortensii, aculeatîs armati anciliis tutius collucescunt. Ingressus ergo jam SIMON Divinissius Honoris Capitolium (Sacram Religionem suppono) non Æmiliorum Curribûs, non jugalibûs cervis, non edomitîs ad frena Leonibus, non missîs sub juga elephantibus, sed volucribûs liberæ voluntatis pennîs suffultus, duabus rotîs Amore DEI & contemptu mundi provolutus. Vivere incipit Religiosus sub Regula qui vixit in auge vitæ Christianæ per-

Ingressus Religionem.

(b) *Plutarchus*

fectissi-

fectissimus, induit duriori de filo contextam chlamydem Qui semper habitum innocentiæ portavit, cingitur nodoso fune, Qui nunquam stolam albam Angelicæ puritatis dimisit, absconditur in Claustrali cellula, Quem & ipsum Cælum habere vellet inquilinum, tenebrosis umbris implicatur Qui nihil in moribus caliginosum habuit. asperum virtutis molitur iter Qui nunquam à Semita Illius aberravit. O! quàm grande Ecclesia fastigata suffragium, quàm ingens decus sortita Religio vel Vnô Hôc LINPICIO Vos quoq; Sacri Bernardini Lares præstate testimonium. Crescebat in novello Novitio non immatura pietatis seges, quam veterani stupuerunt Centones, concinna morum elegantia, composita ad modestiam facies, serena in operibus frons, firma in propositis constantia, non ementita frontis sinceritas designabant Angelicum Iuvenem LIPNICIVM, adeo: ut nihil censorinus Cato inveniret, quod sit atrô notandum calculo. In eruditis Sacræ Religionis Literis plus nè didicerit an docuerit, in quæstionem non voco: dictantis in Cathedra Crucis Doctoris discipulus, nihil plus scire anhelabat nisi cum Paulo IESVM Crucifixum, Librum alium non quæsivit nisi Sangvineis inaratum characteribus, lumen ingenii aliunde haurire noluit nisi à Sole Mystico umbra cruoris eclipsato Eruditionis fructum ex Crucis Arbore, Doctrinæ Gemmas ex hypostatica Dei & hominis unione colligebat. Practicus potius quàm Speculativus Theologus, potiùs facere quàm scire facienda voluit, exemplis quàm verbis disertior, latioribus circumscripta regulis agendorum præcepta personali virtutis docuit paradigmate, breviori exemplorum Lacone verius id executus, quàm si decumana canonum & regularum farrago expressisset. Placuit hic Superis & Superioribus LIPNICII in agendo modus & Quem jam consummatum approbârunt Theologum iterum passu retrogrado ad sacras virgas Virgilium destinârunt non tamen carminà sed crimina emendandi tribuendo potestatem. Alias Sacris Ordinibus initiatus LI-

Divinissimus Simon Sacerdos fist.

PNI-

PNICIVS contra iniquos Saracenorum insultus ivit unus velut Hector pro Troja & qui Fidei jacturam, Ecclesiæ ruinam, DEO moliebantur contemptum, spe & voto elusi, veniam à Seraphico PATRE petierunt. Cavete fædîs Hirciniæ prædis innutritæ Regiones, Septicipis Hydræ afflatæ latrociniis, sangvine Christiadum potatæ Vrbes in cineres Vos vertet LIPNICIVS, Cui tot hæretici convicti, tot peccatores conversi, tot Principes reducti, tot populi confirmati, famulantur. Loquuntur universi ad meridiem incolæ, quos licèt fervidiori luce Sol afflaret quotidiè, nunquam tamen diem mentibus attulit, donec veniens à Septemtrione LIPNICIVS cæcutientes lumine veræ Fidei illustraret, dubios resolveret, errantes reduceret, ignaros erudiret, pertinaces percuteret telô Divinæ Charitatis. Loquantur si loqui poterunt Sacra pulpita in quibus Sanctior detonuit Pericles, quot nubes peccatorum dispersæ, quot cordium petræ scissæ, quot lacrymarum imbres profluxere. Concionator Cathedralis Ad Cantum Gregorianum montium juga saltâsse feruntur, Verius Coronatus Vavelli vertex ad exaltatam SIMONIS vocem subsiliit, Dicerem Illius Exedram Cathedram Petri de qua quidquid dixit oraculum, quiquid locutus miraculum, quidquid protulit, procul ab omni suspicione veri avocatum, Dicerem Sacrosanctam Vulcaniam in qua cudebantur fulmina contra rebelles Superis Gigantes. Dicerem Homericam Najadum speluncam in qua assiduis diffluens lacrymarum undis SIMON DIVINISSIMUS lapidea demolliebat pectora. Dicerem Dolium Diogenis in quo ad lucidam Spiritus Divinissimi Lampadem plures instruebantur Alexandri. Dicerem Tripodem Apollinis de quo salutaria mortalibus dabantur responsa, nisi hæc singula LIPNICIVS tanquam atomos Olympus contineret. Desperaverunt jam Sacri Coloni steriles ferrei sæculi incusando Soles, non posse habere auream salutis messem & ecce fluctuantes dubia elevavit procella, quando SIMON alter ferè Paulus inculta coluit, sterilia fæcundavit, deserta semine Verbi Divini inaravit pectora. Sparsa hæc semen-

 tis

tis non erat cum fletu tamen cum exultatione colligitur manipulus, nempe Sacer Seraphicus honor, exſiccatam tot elicitis pro Honore DEI ſudoribûs SIMONIS frontem benigniori rore irrigavit. Non ſuffecit quidam ad abſtergendam madidam laboribus faciem hæc Vitta, non fuit reſpondens meritis præmium, niſi SIMON plurimo mereri pauca poſſidere elegiſſet. Atlanticos cujus lacertos ſacræ dibaphæ, Præſulum Curules, Cardinalitiæ Pupuræ, maximaq; in Eccleſia Culmina ornare anhelabant, ſubmittitur, pigmæum brachiîs portando titulum. Turpe cenſuit decumanîs turbidum procellis imitari Oceanum, quem tot decidui de Cælo imbres, tot promanantia de terra flumina, tot Deucalegonum undæ nequeunt ſatiare. Senſit indignum ſectari fervidum quem flammeus Mulciber conſtruxit rogum, cujus flagrantem hiatum tot ſepulta Regna tot incineratæ Provinciæ, tot conſumpta Ilia, tot deletæ Vrbes non extingvunt. Execrandum concluſit gehennali comparari Tartaro, cujus os infame tot Cacodæmonum agmina, tot damnatorum ſpiritus, tot ſulphurei ignes, tot malorum pondera non obtrudunt. Diſcite hinc inter medios Fortunæ favores infelices Titii, inter bonorum affluentias pauperes Iri, inter honorum æſtus ſitibundi Tantali, chalybeâ infortunii portione non contenti ſtruthiones, niſi aureos Vitellius concoqueret panes, & ſplendidiora Midas obſonia præpararet. Diſcite inquam ex LIPNICIO Diviniſſimo eum ſat eſſe divitem, qui nullum multiplicandi fortunam habet deſiderium, eum ſat eſſe Dignitarium, quem merita honore dignum teſtantur, eum tenere Gloriæ meridiem, qui adſcitium famæ decus non admittit. Præſes Religionis LIPNICIVS ſic ſe geſſit ut etiam ſe infimum meminerit, ſic Prælatus eſſe voluit ut etiam habitum obedientiæ & ſervitutis non exueret, Inter minoritas Maximus, inter humiles humilimus, inter Sanctos Sanctiſſimus, inter Stellas veluti Luna minores, ſummum perfectionis gradum tenuit, tamen ſe nec tantillum

Paucis contentus

in ſemi-

in semita Virtutis profecisse dixit, quò celsiori probitatis Culmine Cælos tangebat, eò profundiùs ad abyssum humilitatis se damnabat. Vnde etiam hâc operum Antithesi laudatissimus, gloriosissimus. Patientiam ultra hominum suspicionem quis in eo non admirabitur. Corpus innocuum armatîs scindit aculeis, ligat funibûs, premit suppliciis & ad tenebrosum damnat carcerem. Iudex in sua causa SIMON Divinissimus non tamen favorabilis, atrocior carnifice, virulentis scorpionibus, fædis angvibus, propriam carnem dat in pascuam. Quid agis Pater Seraphice? contra naturæ Leges est hic cruciatus, humanæ conditioni hæc tortura repugnat. Potes &, sinè his tormentis placere DEO non omnes enim Martyres, non omnes sangvine nundinantur Salutem. Quid ad hæc LIPNICIVS? replicat· ah! miser est cui nunquàm miseriam experiri licuit, qui sui DEO per flagella non exhibuit documentum, miser est, cujus dies in fomentis & tepidariis, in voluptatibus & desidia, evanescunt. Spectare potuit veræ metam gloriæ non adire, quæ dura & aspera est, molli vestigiô non calcatur. Si Herculis erat non Sybaritæ, luctari cum Leone, expugnare hydram & suæ Terminum Gloriæ eliquatis de fronte sudoribûs ad Calpen & Abylam annotare, scindant ergo me venenosi angves, pungant Scorpiones, saucient vulnera, effundant sangvinem, ego per ejus diluvium natando, fortunatas Gloriæ adnavigabo Insulas, occinam lætus: hic est meta, hic saltus, hic meæ Gloriæ NON PLVS VLTRA. Tacere hic coguntur Oratores ubi sangvis de terra clamat, cedere debet etiam exquisitissima lucubratio. Vbi Sole clariora attenduntur donumenta. Ergo nec ego jam voce stylo, genio periodicos involvam ambitus, pergenti tamen ad Latium LIPNICIO obsequioso cultu famulabor. Baltim gelidamq; Meotidem relinquit LIPNICIVS. ad meridionales Italorum convertur plagas. Nihil justius: quàm ut igneum Amoris Divini zelum, quem niveales attempera-

Ad Antrum descendit.

 bant

bant glacies ad meridionalem Phæbum reaccenderet. Tendit Romam, ut ad Petram Petri indelebiles Gloriæ Seraphicæ inscribat characteres, tendit Romam, ut Portâ Aureâ Clavibus Ecclesiæ reseratâ, feliciora Poloniæ pandat tempora, Tendit Romam; ut cui ad signum consummatæ virtutis bino turgens vertice Craci Parnassus non suffecerat, saltim Septicollis Vaticanus sit par respondere. Stetit fortunatissimus ad Capitolina Iuga LIPNICIVS, illico genium suum ad mentem primi Capitis fore demonstravit. Sensit se Orbis Domina in novam Virtutum transformari Coloniam, cum ei SIMON Divinissimus Tusculi Delphorumq; fortunam arrogaret. Trinæ Vaticani clarius effulsere Coronæ ad præsentem Illius Sanctimoniæ claritatem. Circum fluens Tyberis præternaturali agitabatur impetu, nova in applausum celebrando fontinalia, & ipsæ Laureæ de puriori efficta taxo ad coronandam SIMONIS frontem volvebantur, Sicq; cum omnium vota in sui concitaret Nominis gloriam, Ipse Cælesti afflatus entheô, quâ DEO quâ Fidei, quâ Religioni placuit elevatus virtute, volucribus pietatis suffultus pennis in Summum Gloriæ Seraphicæ evolavit. Conculcavit paupertate divitias, rebellem per cædes domavit carnem, liberum obedientiæ subjecit animum, Honores generosa mente contempsit, Mundi decora despectu triumphavit. Plura concipio enarrare non possum. Vicit LIPNICIVS quidquid erat difficilimum superavit quidquid fuit non Supremum, omnem virtutis emensus Celsitudinem, præstitit in sed id totum quidquid sperari potuit, patefecit quidquid perennis moliebatur expectatio. Majora fecit quàm sermo exprimit, Cælum pro pagina Stellæ pro literis cedant est necesse. Hoc tamen unicum Argumentum ex præmissis infero: Amplissimus hic Seraphici Patris FRANCISCI Ordo, tot sæculis decrepita BERNARDINI Religio Majorem LIPNICIO Sanctitate, Pietate, Humilitate, non habet nec habuit. Ergo Divinissimus SIMON LIPNICIVS HERCVLEVM NON PLVS VLTRA Gloriæ Særaphicæ concludendus.

Ad Coronidem verò laboris Columnas Herculeas pridem in cineribus sepultas non suscito, sufficiat mihi ad terminalem

Gloriæ

Gloriæ Seraphicæ Obeliscum eruderatus ex Nomine SIMONIS, artificio Anagrammatico Mons, cum nec Mauritanus Atlas, Acanthus Magnesiæ, Argæus Capadociæ, Aracinthus Ætoliæ, Acrocorynthus Peloponesi, Dardanus Apuliæ, Caucasus Scithiæ, Falernus Campaniæ, in tantùm prodessent in quantùm Mons Sanctior SIMON Divinissimus. Cujus pretium Divitiæ Sapientiæ & Scientiæ DEI, Altitudo Numinis Increati specialis Assistentia Ille Mons est qui contra hostiles insultus intractâ fortitudine turgescit, summa Fidei, Pietatis & Religionis Observantiâ maturescit, inextingvibili pro DEO pro Ecclesia ardore splendescit, supremo humilitatis culmine, ipsi æquatur Olympo. Canebat quondam Horatius Albano Musas, in Monte locutas: Academica Pallas Sanctiori Monti LIPNICIO ob servatam Fidei integritatem, stabilitam Religionis securitatem, inviolatam vitæ Innocentiam, consummatam *V*irtutis Metam, post osculum Sacratissimorum Pedum, hoc cum profundissimo Cultu appendit Epigraphen. Coronâsti Ætates nostras florentissimâ *S*anctitate & quam ante multi tentârunt Pietate, Tu unus dedisti quod speravimus, præstitisti quod expectavimus. Ecce coronatæ portum tetigere carinæ. Ergo erigit Polona Musa ad Aram Tui Nominis pia pro anathemate pectora, pro Throno submittit Capita, pro scabello mancipat cervices, pro victima accendit corda, pro triumphalibus Columnis votiva erigit acroêmata. Solvite in ora vulnera FRANCISCI Dexteræ, si ex SIMONIS Nomine omen vestræ desumitis Gloriæ libere fatemini. Mihi si de Honore Sacerrimæ hujus Religionis quidquam effari licebit? satis dixero: si unum concludam LIPNICIVM. Non mei moliminis erat. RR.PP. vicinæ Cælo Gloriæ Vestræ metam ponere, nisi LIPNICIVS Divinissimus plus quam Herculeo labore jam pridem id effecisset. Fateor FRANCISCI Manus Piscatoris Annulô, Pontificiis desponsatas Triregiis, Petri Clavibûs Cæli interpretes fieri, Sacris Cardinalium Rotîs sat in sublime evehi. Pastoralibus tæniis, Præsulum & Archi-Præsulum dibaphis. Doctoralibus ornari sertîs confiteor, Gloriæ tamen Seraphicæ mensura non à Tyaratis fastigiis sed à

K trabe.

trabeata LIPNICII virtute videtur dependere.

Attolle pupillam Serenissimis assvetam Luminaribus Aquila Sarmatica, meridionalem rectegestorum hic intuere lucem, lacrymarum evitabis pœnam. Siste gressum incitatis provolute passibûs Lithvane Sonipes, quò tendis? hic tibi meta statuitur: triumphalem trahe Currum, lauta habiturus bellaria. Gentilitia Illustrissimæ CZERNORVM Domûs Flumina more Romanorum celebrate Fontinalia, Sanctior Xerxes LIPNICIVS aureô vos sibi desponsabit annulô ne unquam turbidis malorum agitaremini fluctibûs. Coronate Vavelli Vertex ut Illustrissimis Eminentissimis citius inclarescas titulîs, ad ardentem ignibus Seraphicis Æthnam descendisse juvabit. Applaude & tu grandæva Mater Vniversitas Cracia Filio, & Quem Tuo lactabas ubere, venerare Patronum. Nè metue fatuus licet sæviat Mulciber, habes veriorem Æneam Qui propriô lacertô etiam de mediis ignibus Te poterit exportare. Coronatrix Regum Urbs Gentis Sarmaticæ procumbe ante Aram LIPNICII hoc à casu surges felicior cum Anthæo. Ego verò à Seraphico Patre. Annô hôc Iubilæi Indulgentiam imploro si quid non festive quia festinus Orator

D I X I.